



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... ab Aduentu usq[ue] ad Pascha ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

D[omi]nica L[æ]tare. Eua[n]g. Abijt Jesus trans mare. Johann 6. Homili[æ]
quatuor

urn:nbn:de:hbz:466:1-35308

DOMINICA III.

QVADRAGESIMAE EVAN-

gelium Iohan. VI.

Matth. 4.
Marc. 3.
Lucę. 7.



Matth. 14.
Lucę. 9.

Matth. 14.
Marc. 6.
Lucę. 9.

Matth. 14.
Marc. 6.
Lucę. 9.

IN illo tēpore: Abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis, & sequebatur eum multitudo magna, quia uidebāt signa quæ faciebat sup̄ ihs qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autē proximum pascha, dies festus Iudæorum. Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & uidisset quia multitudo maxima uenit ad eū, dicit ad Philippū: Vnde ememus panes ut manducēt hi? Hoc autem dicebat, tentans eum. Ipse enim sciebat quid esset factururus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes nō sufficiunt eis, ut unusquisq; modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex discipulis eius Andreas, frater Simōis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinq; panes hordeaceos & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tātos? Dicit ergo Iesus: Facite homines discumbere. Erat autē fœ-

nū multū in loco. Discubuerūt ergo uiri numero q̄si quinq; millia. Accepit ergo Iesus panes, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. Similiter & ex piscibus quantum uolebant. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quę superauerunt fragmenta, ne pereāt. Collegerunt ergo, & impleuerūt duodecim cophinos fragmentorum ex quinq; panibus hordeaceis et duobus piscibus, quę superfuerunt his qui manducauerant. Illi ergo homines, cum uidissent q̄d Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est uere propheta, qui uenturus est in mundum.

Matt. 14.
2. 15.
Marc. 6. 8
Lucę. 9.

Supra. 4.
Lucę. 7

HOMILIA PRIMA.

MAnifestaturus iam dominus noster Iesus Christus uenerabile sacramentum altaris corporis & sanguinis sui sanctissimi, quę nobis in sui memoriam relicturus erat perpetuam, magnum & stupendum prius exhibuit miraculum in specie panis: quoniam in eadem sacramentum illud erat instituturus, ut animos audientium permoueret ad credendam sublimē huius sacramenti altitudinem, simulq; non ueterum tantum Iudæorum, sed nostratium quoq; neochristianorum corda pœna & correptione digna argueret. Cum enim ueteres Capharnaitę & nouelli dicunt hęretici, Quomodo potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum, posse hoc se facere, ipse adeo dominus docet uel hoc admirando miraculo, quando quinq; millia hominū quinq; satiavit panibus & duobus piscibus: quod si naturā solā cōsideres, utrunq; est impossibile, Verum apud deum nō est impossibile omne uerbum.

Johan. 6.

Lucę. 1.

¶ Sed ut ad euangelij textum ueniamus, transfretatio hæc domini facta est, cum iam Iohannes decollatus esset

- Marc. 6.** ab Herode, tunc enim dixit dominus discipulis suis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillū. Ascendentes ibi itaque in nauim, abierunt. Hic sancti patres considerare & expendere solent, quid sibi hoc ipso dominus uoluerit, quod apostoli, si persecutionem sentirent, fugere deberent de una ciuitate in aliam: id nimirum, quoniam nos quoque interdum uenenata liuoris & inuidiæ tela declinare debeamus. sicut & dominus fecit, eo quod maledicos & feros, repugnando magis exasperamus, cedendo autem mirigamus facile, & eorū mollimus infaniam. Ita namque Christus quoque, ut Iudæorum inuidiam & Herodis effugeret furorem, transfretauit mare Galilææ, Mare inquam, non illud magnum Oceani, sed iuxta consuetudinem loquendi Iudæorum, congregationem quandam aquarum, quia stagnum hoc in longitudine passus habebat uicies mille, in latitudine quinquies mille. An autem idē fuerit cū stagno isto Genesar, scholis relinquitur.
- Ptolem. Plinius. Solinus.** Ptolemæus unius meminit, similiter & Plinius, sed Solinus duos ponit lacus (adde Nume. caput trigessimū quartum, & primi Machabæorum undecimum) Genesar lacus apparet superior, sed minor. Tiberiadis inferior & maior Tiberiadis nomē accepit ab urbe Tiberiade adiacēte, quā Herodes in honorē Tiberij extruxerat, autore Iosepho. Adiacebat & in proxima Bethsaida, quod ex Luca colligitur. sed à regione, in qua erat lacus, dicebatur mare Galilææ, & mystice significat turbidum & fluctuosum mare huius mundi.
- lib. 12. c. 2**
- Beda.** ¶ Euangelista porro commemorat turbam plurimā secutam esse dominum, puta ad recipiendam gratiā sanitatis & escam spiritalem, doctrinam quoque & refectionem cælestem, summa (ut Beda inquit) munera. Siquidem etiā ex Matthæo constat, quod audientes turbæ Christum secessisse in desertum, secutæ sunt eum ex ciuitatibus. Marcos uero ex omnibus ciuitatibus turbas adcurrisse, & ante Christum trans mare refert uenisse. Tanto tenebantur ardore & desiderio salutarem Christi doctrinam audiendi, quamuis non idem omnibus erat in illum adfectus, quod alij ipsum ex charitate sequebantur, alij ob necessitatem ut infirmi, alij ex presumptione quadam temeraria, non
- Luce. 4. Johan. 6.**

Nulli ex inuidia & cupiditate capiendi eum in sermone
atque tradendi. Quod nunc quoque in hodiernum diem *Matt. 22.*
fieri certū est, ut non oēs ex pietate audiant uerbum dei.

¶ Ecce autem ipse quoque euangelista rationem cur se-
cutæ dominum sint turbæ, ostendit, quia uidebant signa *Johan. 6.*
quæ faciebat super ijs qui infirmabantur. Vnde duo colli-
guntur: alterum, quod quamuis fides donum dei est, esse *Roma. 12.*
tamen possunt causæ aliquæ externæ, quæ nos ad creden- *2. Cori. 12.*
dum moueant, sicut hic uideamus miracula Christi tantā
in hominibus fidem causasse, ut cupidissime dominum se-
querentur. Sed dicis cur miracula hæc non æqualiter mo-
uerunt omnes, sed alios fortiter, alios minus, alios nihil
omnino? Respondeo, quod non sola miracula in causa fu-
erunt, ut crederent homines, sed ipsa quoque uidentium
uoluntas, quam cum quidam adeo habebāt deprauatam,
ut ipsa quoque miracula domini calumniarentur, sicut de
pharisæis die ab hinc octauo audiuius in euangelio, id-
eo neque crediderunt. (Hoc est, fides non caret suo medio, *Luce. 11.*
illud tamen non est sufficiens absque imperio uolunta-
tis.)

¶ Posterius quod ex secutis dominū propter miracula
turbis colligitur, est, quoniam (cum Iohannes duo tantū *Jo. 4. 2. 5*
torius huius anni miracula descripserit, de reguli filio &
& paralytico) uerum sit illud, quo Iohannes euangelium
suum cōcludit, multa etiam alia signa fecisse dominum, *Johan. 11.*
quæ scripta non sunt in hoc libro. ea nempe uidit popu-
lus, & secutus est ipsum.

3. ¶ Narrat euangelista ascendisse Christum cum di-
scipulis suis in montem, ut doceret eos quoque, uenientem
ad se populum inspicere, quoniam sic quoque uenturi & fe-
stinaturi essent hoīes ad prædicationem illorum.

¶ Erat autem proximum pascha dies festus Iudæorum,
Vbi quæret forsitan aliquis, quare iam hoc tempore à Ie-
rusalem secesserit dominus, quo Iudæis omnibus uenire
præceptum erat in lege. Respondetur, mandatum id qui-
dem fuisse, sed tamē à lege exceptos tum infirmos, tum eos
qui inimicitias haberent capitales; ideoque dñm excusatū
fuisse, cui iam mortem minabantur & quotidie intenta-
bant pharisæi.

Matth. 5.
Actu. 15.
Chrysost.
Theoph.

2. ¶ Deinde quoque, quamuis dominus uenerat legem spiritualiter implere, tamen eam ad litteram soluebat, sicut deinceps & apostoli fecerunt in primo statim generali concilio Hierosolymitano, paulatim ergo legem dominus soluit, cum Iudeorum malitia occasionem acceperit, seruans autem legem, hominem se monstrat: soluens, aliquid ultra hominem, deum uerum: quamuis & hoc animaduertentibus ostendere uoluit, cessasse figuram ut aduenit ueritas. Fuit autem hoc paschale tempus miraculo illi aptissimum, quia conuiuium hoc panarium, typum gerebat sacrosancti sacramenti altaris, quod nos adhuc tempore paschali suscipimus, sicut eodem Christus instituit, autore Euangelista per hoc totum caput, ubi grauissime refert Christum de sacramento loquentem.

¶ Eleuatis iam hic oculis, dñs uidet multitudinē ad se uenientem, quæ & designabat magnam illam hominum copiam, qui ad confessionem fidei & nominis Christi uenturi essent, atque euāgelicam ueritatē suscepturi. Docere uoluit hoc ipso etiam dominus, prælatos sollicitos & anxie curiosos esse debere de necessitate subditorum, sicut & ueteres episcopos fecisse, & ipsum quoque Paulum, certum est, qui sollicitus subinde fuit de collectis pauperum. Tu quoque hinc discite, quomodo misericors dominus oculos suos attollit, si modo ad eum uelles accedere. Cunctis enim ad se uenire cupientibus gratia misericordiæ cælestis adcurrere consuevit, omnes clementissima uoluntate uult saluos fieri, dummodo nullum in nobis uitium, nullus maneat defectus. Ecce enim hic dominus in mōre docens discipulos, arcana utique fidei nostræ mysteria, nō tamen turbæ obliuiscit, quā erat admirabili pascendi mōe sariatur.

Marc. 9.
Luce. 6.
X B.
Chrysost.
Augustin.

4. ¶ Dicit Philippo, Vnde ememus panes ut manducent ijs? Matthæus, Marcus & Lucas scribunt discipulos uespero domino dixisse, ut sineret homines abire in proximas quasque uillas, ubi cibū emerent. Variant quidem hic doctores, an idem sit hoc miraculum cum illo apud Lucā. Chrysostomus enim duo, Augustin⁹ unum tantum esse contendit. Ad scholas pertinent hæc, quibus nō ita magni sunt momenti. Cur autem præ omnibus interrogarit dominus Philippum, causa ad signari solet huiusmodi, quod ille in si-

nibus istis natus erat, & hominibus præ cæteris notus, id
 eoq; magis etiam quàm alijs discipuli, misericordia erga
 turbas mouebatur. Sed quia Andreas quoq; & Petrus ibi-
 dem erant progeniti, alia adhuc causa redditur, cur Phi-
 lippum interrogarit dominus, q; hic nondum confirma-
 tus erat animo & intellectu in rebus diuinis. eruditione
 itaq; adhuc indigebat, sicut & ex ipsius petitione patet
 post cœnam: Domine, ostende nobis patrem, scilicet quo *Johan. 14*
 ad personam suam. In uniuersum autem constat, domi-
 num interrogasse prius Philippum, quàm miraculū hoc
 tantum exhiberet, ut illud eo magis claresceret & inno-
 tesceret, si per Philippi responsum defectus argueret pa-
 nis: sicut & uini penuriam in nuptijs prius permisit inno-
 tescere pluribus, quàm ex aqua uinū faceret. Verum hæc
 ipsa Christi interrogatio arguit, quàm ægre hic natura-
 liter licebat panem alicunde habere. Ait enim: Vnde eme-
 mus panes? quasi diceret, ea sumus rerum & pecuniæ ege-
 state, ut emendis etiam nō sufficiat panibus. Ideoq; & Mar-
 cus refert eos dixisse, Ducentis denarijs ememus panes.
 Sunt tamen qui interrogationem hanc ad locū referunt,
 qui desertus erat totus, ad hæc à uillis & oppidulis, ubi cō-
 parari panes poterant, paulo remotior. Vtrunq; non ma-
 le conuenit, & pecuniæ hic fuisse & panis defectum

5. ¶ Euangelista quo animo hæc dominus dixerit
 Philippo, insinuat, quia tentans eum. Neq; enim interro- *Coloss. 2.*
 gavit, ut ignarus quid responderet ille, cum & omniscius
 esset ipse, & thesauros scientiæ ac sapientiæ omnes in se
 haberet absconditos. Sed quicquid hoc fuit quod quæsi-
 uit dominus, in commodum Philippi & aliorum factum
 est, ut sic attentius considerarent miraculum. Quomodo *Exodi. 4.*
 & Moysen interrogauit deus, quid gestaret in manu, nō
 inscius utiq; uirgam esse: ita hic cum Philippo similiter e-
 git dominus, quem interrogauit eo maxime dominus, ut
 tarditatem ipse fidei suæ cognosceret, & per miraculum *2eda.*
 emendaret & castigaret, prouida id totum dispensatione
 agens, quoniam ille nullo modo dubitare debebat, confi-
 derans coram hic adesse rerum omnium conditorem, q; *Psalm. 103.*
 & panem educit de terra, multo facilius pauculis panib;
 multa hominum millia eundem esse satiaturum. Sic Phi-

lippum Christus tentauit.

- Matth. 6.** ¶ Sed quia suspectum est illud tentationis uocabulum, quod plerunq; & diabolo tribuitur, & ipsi nos in quotidiana oratione auersari & deprecari solemus, dicentes, Ne nos inducas in tentationem: sciendum est, tali tentatione quæ prouocat ad malum, deum neminem tentare, sicut Iacobus dicit: Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à deo tentor. Adhuc ramen alia tētatio est, uelut probatio quædam, qua periculum & experimentum de aliquo sumit. sic deus tentauit Abraam, an filiū suū sibi immolaturus esset. sic Dauid precatus est dominum, Proba me domine et tenta me. Tentationem huiusmodi siue probationem, deus facit non propter se, sed uel in ipsius hominis uel aliorum commodum. Nisi enim durum & graue adeo mandatum Abraæ dedisset deus, adhuc nos & fidem illius tantā & ardentissimam erga deum charitatem ne sciremus. Philippus quoq; hic responsione ista sua, fidei suæ cognouit infirmitatem, quam deinceps miraculi tam excellentis uirtute posset confirmare. Quoniam uero tentauit eum dominus, non qd ex eo quicquā scire cuperet, uerba ipsa testantur apertissime: quia sciebat ille quid esset facturus ex sua uirtute diuina. Philippus autem potentiam hanc non agnoscens, dicebat: Ducentorum denariorum panes non sufficient. ubi Augustinus dicit, Quod hic Philippo Iohannes tribuit, idem hoc alios euangelistas in communi de apostolis referre, iuxta morem scripturæ, quæ loquitur de uno in plurali numero illius multitudinis, cuius est pars. Philippus igitur ratus emendos esse panes, ducentos commemorat denarios, quod tantum forte pecuniæ habebant, quam Iudas ut dispensator ferebat. Nihil omnino omnipotentiam Christi attendebat. Christus autem non dispensatorem ipsum Iudam hic interrogauit, quia interrogatio hæc in bonum cedebat discipulorum: uerum Iudas iam reprobatus erat totus, nec aliqua in eo spes emendationis reliqua erat, iuxta illud uerbum Christi: Nonne duodecim uos elegi, & unus ex uobis diabolus est? Philippus itaque non cognoscens potentiam Christi, interrogauit dominum, qui statim postea miraculum exhibuit, ut fides in eo confirmaretur, Deus nobis quoque fidem

Jacobi. 1.

Gene. 22.

Psalm. 25.

Augustin.

Johan. 6.

nostram tum augeat, tum confirmet contra diaboli & hereticorum omnium insultus, nunc & in hora mortis nostrae, ut ad satietatem peruenire mereamur æternam, ubi edamus & bibamus in regno dei. Amē.

HOMILIA SECUNDA DOMINICAE in medio quadragesimae.

Digressus dominus trans mare in desertum, sedebat in monte, docens discipulos: subleuatisque oculis misericordiae suae, uidit populum ad se ex ciuitatibus undique properantem: uesperit tandem misertus est super illum tanto ardore se sequentem, ut cibi quoque iam eum cepisset obliuio, & uolens insuper fidem discipulorum erigere ad agnitionem diuinæ omnipotentiae, interrogauit Philippum, unde emendi essent panes, qui putauit etiam ducentis denarijs coemptos panes non sufficere. Andreas autem dixit, Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisces. sed hæc quid sunt inter tantos? Vbi Chrysostomus, Prudentior, inquit, quam *Chrysost.* Philippus Andreas, non tamen penitus rem intellexit. nam que credidit ille tantum posse dominum panes istos multiplicare, sicut Eliseus uiginti panes hordeaceos uiris centum multiplicauerat. Verum tot hominum millia tam ex *4. Reg. 4.* iguo pane pascere posse, fidem quoque suam longe superabat. quamuis sunt qui putant Andream tantumdem credidisse ac Philippum. nesciebant enim etiam omnes apostoli, credentis populi cibum non esse uenalem, sed gratuito *Ambrosi.* deo donatum, ait Ambrosius.

¶ Quicquid tamen sit hoc, constat utrunque illud responsum, plurimum fecisse ad magnitudinem miraculi, quod alter respondit ducentorum denariorum non sufficere panes: alter quinque illos in tanta hominum multitudine panes quoque profecturos, quos puer habebat, & ipse utique uel discipulus uel discipulorum comes.

¶ Dices hic Christum illis prohibuisse, ne quicquam secum portaret, neque sacculum neque peram in uia. cur itaque *Matth. 10* hic panes secum acceperat? Respondetur, hoc illis dominum præcepisse, ad prædicandum proficiscentibus & per

in predicat sibi hanc libitum

Gregori⁹. hoc ex sententia Gregorij declarasse, quod prædicatoribus omnia sint danda necessaria. Verum hic à prædicatione redibant iam apostoli, & rursus secuturi dominum, ex consuetudine aliquid secum acceperant, sicut alio in loco

Matth. 16 commemoratur, eos fuisse panes oblitos.

Chrysost. ¶ Hinc, inquit Chrysostomus, delicijs dediti intelligat, quid magni illi uiri & admirabiles comederint, quam uilis & modica eorum mensa fuerit. Intueantur in omnibus eorum abstinentiam. Tantum panes habebant hordeaceos, cibum utique pauperum, & pisces duos, hic totus erat apparatus. Super hac fidei, quam habebant discipuli, paruitate, induci potest infidelitas Iudæorum, clamantium in deserto: Quis poterit nobis dare carnem ad uescendum? & apud Dauidem: Male locuti sunt de deo, dixerunt, Nunquid & panem poterit dare, aut parare meam famulo suo?

Num. 11.
Psalm. 77

2. ¶ Iussit deinde dominus discipulis, ut facerent homines discumbere. Innara, ait Cyrillus, sibi mansuetudine nec increpat dominus, nec ullo modo reprehendit discipulos tanta pusillanimitate affectos, sed rebus ipsis ad fidem inducit: Facite, inquit, homines discumbere, & cognoscetis omnipotentiam meam in panis istius multiplicatiõe.

Cy^{rill}us.

Chrysost.

Roma. 4.

1. Cori. 14

Ubi tu cõsidera, quonam pacto ex omnibus mentes erigit, & differentiam demõstrat, siquidem nondum uisis panibus, ut intelligas quæ nõ sunt, sicut ea quæ sunt, ei subdita esse, ut Paulus testatur, uocans ea quæ nõ sunt, sicut ea quæ sunt. Vide etiã quod subito apostoli in fide creuerint, quoniam iubente domino ut homines facerent discumbere, nõ iam amplius interrogarunt, quid inde futurum esset, quando quod ederetur nõ aderat, sed statim domino paruerunt. Et dum audis quod apostoli fecerunt homines discumbere, cognosce prælatorum & eorum qui in magistratu positi sunt, esse officium, ordinatiões in ecclesia cõstituere, leges sancire. neque id laicorum est, ut per Paulus Corinthijs præcepit, debita ordinatiõe inter ipsos omnia fieri debere.

¶ Cõmoditatem quæ sedendi in hoc loco euangelista insinuat, cum ait, fœnum multum fuisse ibidem, id est ex magno regiõis illius calore, quo celerius omnia mature-

scunt. neq; enim mirum est, sc̄nuna ibi iam fuisse tempore paschali, quo frumenta noua offerre etiam in lege preceperat dominus. Theophylactus tamen hic gramen intelligit. Cogitabant utiq; ipsi apud se discipuli, quō Elias uiduæ isti urceolum olei & uasculum farinae benedixisset, ut nil desideraret in uictu, donec dominus iterum pluuiam daret super terram: & sicut Eliseus plurima illa uasa uiduæ ipsius prophetae impleuit, ut debita exolueret, similiter ut ex uiginti panibus homines centum satiasset, remanentibus etiam adhuc reliquijs. Hinc omnino credebant apostoli simile quid miraculi operaturum esse Christum, cum homines iuberet discumbere.

3. ¶ Discubuerunt itaq; ut in euangelio sequitur, uiri numero quasi quinq; millia. Ira Marcus q; & Lucas testantur. Sed Matthæus ait, Manducantium fuit numerus quinq; millia uirorum, exceptis mulieribus & paruulis. Quoties enim, inquit Hieronymus, sacerdotes atq; Leuitæ & exercitus uel turbæ pugnantium describuntur, serui & mulieres & paruuli & uulgus ignobile absq; numero præmittitur.

¶ Accepto autem dominus pane, gratias egit. Primū, quod panes in manus suas accepit, & cum ijs miraculum tantum exhibuit, hæresim infregit Manichæorum. Hinc & Hieronymus dicit: Audi Marcion, audi Manichæe, quinq; panes & duos pisciculos ad se afferri iubet Iesus, ut eos sanctificet atque multiplicet. Quod si à diabolo fuissent creaturæ illæ corporales, nunquam ijs dominus in miraculis suis usus esset. Accepit autem in suas uenerabiles manus, ut per hunc contactum uirtus operaretur diuina. Matthæus insuper refert eum suspexisse in cælum, ut maior ei fides daretur, quod nō sit contrarius deo, sed cælitus & à patre uenerit. Aspicit in cælum, inquit Hieronymus, ut illuc oculos dirigendos doceat.

¶ Sed quid tandem? cum sanaturus esset paralyticum, cum resuscitaturus mortuum, cum maris sedaturus tempestatem, nō agit gratias. hic agit, & ita in minori miraculo gratias agit. Respōdet ad hæc Chrysostrōmus, ut ostēdat ante cibum gratias deo agendas, more & pio & laudato, quod ueteres quondam Christiani arctissime ob-

Leuit. 23.
Theoph.
3. Reg. 17.

4. Reg. 4.

Matt. 14.

Hierony.

Hierony.

Theoph.
Hierony.

Chrysostr.

Plinius li. 29. epi. 96. seruârunt, autore & teste homine ethnico Plinio: qui idem hoc in quadam ad Traianum refert epistola, à quo commissum ille habebat, de Christianis puniendis & uel extremo supplicio afficiendis. & rescripsit Imperatori deinceps, solitos illos conuenire, carmenque deo suo dicere, & se sacramento obstringere, similiter quoque ad cibum capiendū conuenire innoxium. Sic Paulus etiā ad

1. Timo. 4. Timotheum: Omnis, inquit, creatura dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. sanctificatur enim per uerbum dei & orationem. Quamuis proh dolor mos ille, ut maxime pius erat & Christianis hominibus dignissimus, ita minime nūc obseruatur, non in uulgo tantum, sed & in ipsis principum aulis, sicut & aliæ consuetudines bonæ, pleræque iam sunt intermortuæ: contra, mores (ut ille ait) mali quasi herba irrigua succreuerunt huberrime, eorum licet iam messem metere maximam. Nec desunt tamen ex plebe homines, qui ante cibum uel pauculis uerbis affectum declarant & animum deo gratum, dicentes: Benedicat nobis dominus noster quicquid adpositum est aut adponetur tibi & potus. similiter post cibum, Gratias tibi agimus omnipotens æterne deus, tu quoque animas defunctorum omnium pascere dignare. Ah quantum esset, tantulum saltem prestare hominem, neque omnino impium Turcā effici aut ethnicum? Quam præclare uero huiusmodi quid principum quoque deceret aulas, ubi nunc aulicos inuenias, qui si tale quiddam mediteris pium & sanctum, te subsannent & explodant. O secula, o mores.

Cyrellus. ¶ Aliam adhuc causam Cyrillus reddens: Gratias, inquit, agit, partim ut exemplo se nobis præbeat, partim ut naturæ deitatis, uirtutem miraculi sicut homo attribuat, Orauit enim ut homo, non ut deus. Et fuit iste modus sibi conueniens, ut more humano ante passionis tempora, dignitatem suæ deitatis occultaret, & simul seculi huius principem omnia ista laterent. Satis hoc erat Christo,

Johan. 11. fidem hanc populo persuadere, se uerum esse Messiam à deo missum, sicut & in resuscitatione Lazari dicebat, Propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti,

¶ Tertiam rationem Chrysoſtomus addit huiusmodi: Chryſoſt.
 Quoniã multitudo magna aderat, quã perſuaderi oportebat, diuina id fieri uoluntate, ſuſpexit itaq; in cælum, gratias egit, panem benedixit, ut ſic omnis tolleretur ſuſpicio phariſæorum, miracula tanta autori diabolo attri- Luce. 11
 buentium, ipſumq; adeo dominum inſimulantium uelut Joh. 5. 27
 deo patri contrarium. Verum ſi quando Chriſtus miracu- Matth. 6
 lum ſolus exercebat, non tantum orationis nec gratiarũ Matth. 6
 actionis faciebat, nobis in exemplum, ut nos hinc diſca-
 mus coram hominibus ſanctè exhibere, & nullũ inde qua-
 rere illicitum & arrogãtem honorem, inſtar phariſæorũ,
 qui uideri tantum cupiebant coram hominibus: ſed ad
 proximi ædificationem, qui deum immortalem quã fa-
 cile offenditur, ſi ex te boni nil uideat, ſicq; te cæteris, nõ
 uiuere conformem in moribus totoq; conuictu aſpiciat. Matth. 6
 Sic, inquit dominus, luceat lux ueſtra coram hominibus,
 ut uideant opera ueſtra bona, & glorificent patrem ue-
 ſtrum qui eſt in cælis.

¶ Quarta etiam hæc cauſa eſſe poteſt, quia ſi ſemper &
 in omnibus ſuis miraculis graſſet Chriſtus, cogitare quis
 poſſet, eum illa nõ ppria feciſſe uirtute: ideoq; maxima
 quæq; miracula ſine gratiarũ actione fecit, in minoribus
 tm̄ orauit & gratias egit, hoc mō declarans ſe nõ neceſſi-
 tate orare: quia ſi neceſſario oratiõẽ opus habuiſſet in par-
 uis miraculis, multo magis in magnis. Et minora itaq; &
 maxima miracula ille propria ſua fecit uirtute.

4. ¶ Euangelista Chriſtum diſtribuiſſe panes refert,
 ſed apertius Matthæus dediſſe eum illos iam fractos ait di- Hierony.
 ſcipulis, qui eos deinceps propoſuerint turbis. Hierony-
 mus miraculum hoc in ipſa factum putat fractiõẽ, ita ut
 panis ille quem fregit dominus, fuerit ſeminarium eſcæ.
 Et idcirco ex ſubiecta quoq; materia operatus eſt, ne ima Chryſoſt.
 ginatio quædam exiſtimaret, cõtra ludæos. Atq; ut intel-
 ligatur eum materia uſum nõ propter neceſſitatem, nec
 quòd ea p̄ fundamento indigeret, ſed ut hæreticis ſilenti-
 um imponeret, quamobrem reliquias quoq; uoluit eſſe
 ſuperfluas quæ colligerentur. Omnium horũ ſenſum &
 intellectum myſticũ in iuſtam homiliam differimus.

¶ Similiter, inquit, & ex piſcibus quantum uole-
 dd ij

- bant scilicet turbæ, ut sic pro desiderio suo satis haberent piscium. ea enim est cælestis cibi natura, ut cuique pro sui palati dispositione sapiat. sic ait Dauid, Desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo. sic, ut de manna referunt doctores, quod magis uoluntari credentis, quàm quisquam alius cibus inseruiat. unde &
- Psalm. 77.** Sapiens de eo loquens, sic inquit: Angelorum esca nutriti populum tuum, & paratum panem de cælo præstiti isti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem & omnem suauitatem. & paulo post: Deseruebat uniuscuiusque uoluntati, ad quod quisque uolebat, conuertebatur. Ideoque qui uoluntatis erant peruersæ, illis insipidum erat manna. dicebant enim: Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. bonis autem cibus gratissimus erat, iuxta illud Dauidis: Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eius. Verum super hac re aliàs plura in materia sacramenti.

- ¶ Quæstio tamen hic oritur, Cum auditum sit à principio huius euangelij, panes tantum hordeaceos hic adfuisse, cur nõ ex illis triticeum quoque panem fecerit dominus, sicut in nuptiis ex aqua uinum fecit nobilissimum.
- Johan. 2.** Sane ad hoc responderi potest, quod in nuptiis aquam in uinum conuertit optimum, factum id esse ad læticiam & recreationem cõuiuantium: ideoque merito uinum illic à Christo ex aqua factum nobile, quo discumbentes alacriores redderent. Verum hic necessariam tantum turbæ egestatem iuuare uoluit, quæ cõtenta erat satisque omnino habebat in panibus hordeaceis, quos quisquis edere non poterat, famelicus utique non erat. Panis quoque formã in nihilo immutauit, ne utique gulæ deseruire uideret.
- ¶ Postremo, quando dictum iam est, miraculum hoc esse factum inter manus domini in ipsa panis fractione, cogitare posses, quomodo id acciderit. Augustinus inquit: Ille in manibus suis multiplicauit quinque panes, qui de paucis granis multiplicat segetes. Panes isti quinque ut semina fuere, non tamen in terram proiecta, sed ex his quæ terra produxerat, multiplicata. Verum unde Christus materiã tantæ multitudinis panis creârit, ille qui ex sua omnipotentia hoc mirabile magnum fecit, dominus omnium nouit

utiq; in altissima sua sapientia . Legimus in Genesi, deum ex dormientis Adæ latere costam desumptā in mulieris formam præparasse , locumq; costę carnibus impleuisse. Gene. 2.
 Qui itaq; costam in totam muliebris corporis potuit cōformare imaginem, uiuumq; adeo & iustę magnitudinis habitum perducere , multo facilius hic potuit ex quinque panibus tantam satiare hominum multitudinem, ut etiam fragmenta manerent reliqua. Gene. 1.
 Aut nonne maius est multo, quod ex nihilo creauit cælum & terrā, quā quod ex quinque panibus aliquot mille panes faceret? Sed quid hic uel miremur uel longius immoremur? eius potius omnipotentem laudemus misericordiam, qui sanctos suos in æterna felicitate sine omni cibo sustentat, in gaudio & exultatione, in lætitia & suauitate: quibus ille nos quoque coniungere & associare dignetur, qui est in secula benedictus, Amen.

HOMILIA TERTIA

quartę Dominicę in quadragesima.

Quod alibi in euangelio legitur, dominum dixisse Iudæis, gaudium esse in cælo super uno peccatore penitentiam agente, magis quā super nona Luce. 18.
 gintanouem iustis, qui non indigent penitentia, hodie quoq; comperitur esse longe uerissimum. si enim tantopere gaudent angeli in cælis super uno peccatore penitente, quanta erit eorum tum lætitia tum exultatio super tot conuersis & confessis: qui cum paulo ante peccatores fuerint, luto uitiorum demersi profundissimo, penitentia nunc acta, tam sancto ieiuniorum tempore uitam cepērunt uiuere sanctam & piā, de quorum conuersione tota hodie exultat, & uelut triumphat ecclesia cum filiis suis: quibus, nimirum deo reconciliatis, gratulatur, proponens nobis in matutinali statim officio liberationem Iudæorum ex captiuitate Aegypti . non autem aliud designat Aegyptus , quā tenebras , in quibus captiui omnes seruiunt peccatores durissimam sane & acerbissimam seruitutem. uerum ab ea per penitentiam & confessio-

dd iij

nem liberantur. Ideoq; supremus ecclesiæ prælatus pontifex maximus, hodie rosas benedicit: unde & dominica hæc rosarum appellatur, à gratissimo utique odore ijs saltem, quorum mentes & animæ odorem bonum conceperunt omnium gratiarum & uirtutum. Tanta fuit maiorum nostrorum pietas, ut nefas ducerent & piaculum, ante hanc dominicam non confiteri: quod si uos quoque faceretis, gaudij tanti tamque immensæ lætitiæ fieretis utique participes. Vere enim animum habet liberum, quisquis pondus & sarcinam peccatorum per synceram confessionem deposuit. Atque in huius lætitiæ signum ecclesia hodie missam auspicatur illo prophætico: Lætare Ierusalem, ecclesia sancta uel anima fidelis & pia, & conuentum facite omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio uniuersi, qui iugatis super eam, ut sugatis & repleamini ab ubere consolationis eius. Hinc sequitur Psalmus: Lætatus sum in ijs quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus. Gaudio hoc priuantur quotquot indurati sunt & obstinati, neque dum à peccatis auertuntur, nec confiteri uolunt, qui etiam scienter aliquid in confessione tacent. & ideo ecclesia ordinauit statuitque euangelium hodie legi de quinque panibus, quibus dominus satiavit turbam, & exhilarauit. eodem nanque modo spiritualiter ille quoque animam tuam pascit, dum conuerteris ad eum per pœnitentiam, cuius gratia clauis etiam post se reliquit in ecclesia, ut sic certum in hoc sacramento signum habeas, per absolutionem sacerdotis peccata tibi remitti.

¶ Cum igitur quinque tantum panes, & duo pisces hic adessent, accepit illos dominus, benedixit, fregit, dedit discipulis, ut ipsi distribuere turbæ: qua saturata, iussit rursus fragmenta colligi, ne perirent. Vbi miraculum manifestatum esse euangelista insinuat, dum eos ait esse satiatis: quia inde colligitur, plus panis dominum dedisse turbis, quàm Philippus ducentis denarijs empturus erat, ut etiam quisque modicum acciperet. Atque hic liberalitas nobis commendatur, & quasi magna uoce dicitur: Quanto plura dabis liberaliter atque misericorditer, tanto tibi largius plura confluent.

Isaie. 66

Psalm. 121

Johan. 6

Johan. 20.

Johan. 6

Cyllus.

Nam & discipulis dominus pro panibus hordeaceis copiosissimam fragmentorum multitudinem largitus est. Ita docemur propter minima quæ ad gloriam dei consumimus, ditissimam nobis à Christo gratiam esse præparatam. piscum enim reliquæ nullæ superfuerunt, inquit Chrysostr.

Chrysostr.

¶ Quæstio hinc emergit, si ad hominum necessitatem hoc factum à domino est miraculum, cur tantum fuerit reliquum? Respondet Chrysostr., superasse quidem fragmenta, uerum ea non fuisse superflua: sed & ideo factum, ne imaginatio uel phantasma esse uideretur. Ratio etiam adsignari alia potest, quoniam hæc panis multitudo non uiriosa fuerit, sed euidentis maximæ uirtutis declaratio, quando quod mansit reliquum, pauperibus erogatur, iuxta illud Nehemiæ: Comedite pinguis & bibite mulsam, & mittite partes ijs qui non præparauerunt sibi, quia sanctus dies domini est. Apud se quisque cogitet, si multa bona ipsi donet deus, id eo fieri, ut ex ijs quæ sibi sunt reliqua, bene faciat pauperibus, ad remissionem peccatorum suorum, iuxta illud domini: Quod superest date elemosynam, & omnia munda erunt uobis. Ex illis etiam adseruatis præcipiente domino reliquijs, discant patresfamilias prouidentiam. quantum enim sæpe perit in neglecta domo, quod nemini cedit in bonum? quod si ad adseruatum daretur pauperi, iuuaret illum plurimum, essetq; beneplacitum deo, sicut Dauid ait: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Quisquis es itaq; familiæ tuæ studiosus, & de illa sollicitus, impera idem quod hic dominus, Colligite fragmenta ne pereant, & date pauperibus. Sed quam, inquit hic Chrysostr., gratia non dedit turbæ, ut ferrent, sed discipulis? Quod scilicet hos magis erudiri uolebat, qui totius orbis erant futuri magistri, & ut ij omnipotentia illius non obliuiscerentur, uoluit eos subinde corbium istorum meminisse, quamobrem apud Matthæum quoq; exprobrauit eis, dicens: Quid cogitatis inter uos modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neq; recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis?

Chrysostr.

Neh. 2.

Matth. 23

Psalm. 112

Chrysostr.

Matth. 16

Quamuis mystico etiam non caret intellectu, sicuti alibi explicabimus.

2. ¶ Collegerunt, inquit porro euangelista, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorū ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus. unde colligi potest, piscium quoque aliquid reliquum mansisse, quamuis non refert, Chrysostronus tamen putat de piscibus nihil superasse, sed plus mihi apparet hoc dignitatem CHRISTI magnificare, si de piscibus etiam aliquid superfuerit. Græcus quidem contextus hic de piscium reliquijs nihil habet, neque Vaticanum, quod & permouit forsitan Chrysostronum. Cophinos itaque duodecim reliquijs plenos seruerunt apostoli, arguentes, quatenus nos quoque libenter, sæpe & multum dare debeamus eleemosynam, ut utissim deus nobis hic & in futuro retribuatur abundanter, iuxta illud Pauli: Qui administrat semen feminanti & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semē uestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ uestræ, Tu si largiter distribuas pauperibus, & reddet tibi deus abundanter: quia beatus qui intelligit super egenum & pauperem, siquidem in die mala liberabit eum dominus, sed & qui dat pauperi, non indigebit. Paulus quoque Hierosolymam profectus ad apostolos, discessionis suæ mandatum Galatis refert: tantum, ut pauperum memor esset, quod etiam sollicitus fuit hoc ipsum facere. Et quāuis toto anno eleemosynas dare opus piū est & salutare, hoc tamē tempore præcipue, quisquis uel mediocriter per facultates suas potest, debet quotidie aliquid erogare pauperi, missas audire, diligentius ieiunare, & abstinere etiam ab ijs quæ aliās licent. Bona enim est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quā thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccatā, & facit inuenire uitam æternam.
2. Corin. 9. ¶ Admiratur hic Chrysostronus immensam domini sapientiam, quod tantum omnino reliquiarum superfuit, ut cophini implerent duodecim: quod sane mirari oportet nō tantum quoniam superfuerunt panes, sed etiā quia nec plures, neque pauciores, quā qui numero pares essent apostolis cophini reliquiarum, ut omnes gestent, & neque
2. Corin. 9. ¶
- Psalm. 40. ¶
- Proue. 28. ¶
- Sala. 2. ¶
- Tobie. 11. ¶
- Chrysostr. ¶
- Theoph. ¶

Iudas ipse expers relinquatur. Ideo merito ex hoc miraculo debebat didicisse, magistrum suum esse deum, & ex hoc profecisse, quamuis etiam hoc propter malitiam eius in condemnationem ipsius cesserit. eum enim qui tantas reliquias fecerat, de quibus & ipse cophinum portauit, prodidit. Aut certe mystice saltem hoc designare uoluit dominus in cophinis, ubi licet ministerium suum non peregerit Iudas, locum tamen ipsius Matthias suppleuit, sicut & Dauid iam olim in spiritu prouiderat, dicens: Episcopatum eius accipiet alter.

Psal. 108.

3. ¶ Miraculum illud tantum, quod non uelut attonitæ admirentur turbæ? dixerunt enim: Hic est uere propheta, qui uenturus est in mundum. O gulæ (inclamat hic Chrysostomus) incredibilem auuiditatem. Maiora ipsius miracula & quidem innumera operatus est Iesus, neque hoc unquam confessi sunt, nisi nunc exaturati. Non iam cogitabant ipsum transgredi legem sabbathi, obliti erant eum Moyse aduersari, nihil horum curabant iam saturi: propheta ipsis habebatur, imò & regem illum iam iam erant creaturi. O instabilitatem, o inconstantiam gulæ. Veruntamen uerborum illorum primo aspectu sensus facilis est, illos iam hoc miraculo confirmatos, plus tribuere Christo quam cuius alteri ex plebe homini. sed & prophetam uocabant eum, quis plus quam propheta fuerit. si enim ipse dominus Iohannem plus quam prophetam appellauit, quanto magis & dignius hoc de Christo prophetarum omnium domino dici debet? Pulchre hoc idem Augustinus explicat: Sicut angelus, inquit, ab Isaiâ uocatur dominus, Et uocabitur nomen eius angelus magni consilij, secundum Septuaginta, rex tamen angelorum existit, & hic in prophetia angelus dictus, quod presentem nobis annunciauit salutem, ita etiam, quia futura prædixit nobis infallibili ueritate, propheta appellatur. quomodo dixit etiam: Cælum & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt. Christus autem in quantum filius erat & uerbum patris cælestis, dominus quoque erat angelorum & prophetarum. Et sic intelliges quod propheta sit Christus futurorum omnium conscius, simulque prophetarum dominus. namque & secundum animam suam contemplator erat essentiae diuinæ,

Matth. 21.

Augustin.
Isaiæ. 9.

Matth. 24

unde & omniscius fuit, non ex uisione uel inspiratione, sicut cæteri prophetæ. propheta tamen eum appellârunt discipuli quoq; illi duo, potentem in uerbo & opere coram deo omniq; populo.

¶ Attentiustamen paulo turbæ huius uerbâ confidera. habent enim aliquid in se energiæ, dum non simpliciter prophetam, sed eum qui uenturus erat in mundum, insinuant. eo enim hoc declarare uolebant, quis ante hunc prophetæ plurimi fuerant, officium tamen tñ habebat, prophetam illum adnunciandi, qui uenturus erat in salutem & redemptionem hominû: hic cum iâ uenisset, utique merito prophetarum omnium propheta summus & erat & dicebatur, Messias ille iam olim in lege promissus. dixerat em̄ de illo deus ad Moysen in lege, Suscitabo illis prophetam de medio fratrum suorum, similem tui. Sicut ergo legislator antiquæ fuit Moyses, ita succedere illi oportebat prophetam alium nouæ legis auctorem. huiusmodi nimirum prophetâ hic dñm turbæ confessæ sunt, hunc em̄ expectabant, in Christo iam utiq; uidentes omnem de Mes-

Matth. 16. sia prophetiâ impletâ. Atq; ideo alibi discipulos suos dñs interrogauit: Quæ dicunt homines esse filiû hominis? Quæ

Theoph. responderunt, Alij Iohannem Baptistâ, alij Eliam, nonnulli alium prophetarum, ut testatissimum sit, plebem eum habuisse pro propheta. Postremo pro altera conclusionis parte, discendum quoq; hic nobis est ex euangelio, ne pusillanimes simus in angustijs & paupertate, neq; timidi simus in hospitalitate & communiõne, sed credamus, qd & si unum habeamus panem, illum multiplicaturus sit, nec unquam nos in necessitate destitutus. quapropter solitudinem etiam nimiam prohibuit apud Matthæum, quâdo & superflua appetere non raro incommodat magis, qd quod proficit. Ut recte omnino duo hæc sibi dari petierit a

Matth. 6. domino Sapiens, cum diceret: Vanitatē & uerba mendacij longe fac à me, mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum uictui meo necessaria. Id uos quoq; petatis à domino deo, quem nunc oremus omnes, &c.

HOMILIA QUARTA ET

ultima in medio Quadragesimæ

Qui signa, inquit Beda, & miracula domini ac salu-
toris recte cum legunt uel audiunt, accipiunt: nō
ram in ijs quid foris stupeant attendunt, quā
quid horum exemplo intus agere, quid in ijs mysticum
perpendere debeant, inspiciunt. Eandem regulam beatus
Augustinus quoq; refert, Christum uerbo simul & ope-
re docuisse, atq; ideo quicquid euangelistæ operum suo-
rum describere, nobis accipiendum esse ut certissime fa-
ctum sit; & tamen insuper facti illius significationem my-
sticam, ad eruditionem & instructionem nostram esse cō-
siderandā. Quis itaq; iam dubitet, euangelium hodiernū ad
literā ita ut lectū est esse factum, qd cōcorditer adeo una-
nimes omnes descripserunt euangelistæ, quando etiam
intellectu non ita difficile est, quinq; panibus hordeaceis
& duobus piscibus satiāsse dominum quinq; millia homi-
num, pueris & mulieribus exceptis? Verum quid hæc sibi
historia mystice uelit, quidq; ex ea nobis sit colligēdum,
hoc sane nō ita apertum est omnibus, sed ex alijs aliter de-
ducitur. Nos non nostro capiti, uerum probatissimis san-
ctorum patrum sententijs & autoritati innixi, afferem⁹
huius rei explanationem. neq; immerito sic illorū seque-
mur autoritatem, qui & diuinitus illuminati & ab eccle-
sia deinceps accepti, quæcunq; scripserunt, sacrarum scri-
pturarum collatiōe illustrarunt, ut Augustinus, Ambro-
sius, Beda, &c.

Beda:

Augusti⁹

Johan. 6.

Matt. 14.

Marc. 6.

Luce. 9.

¶ Principio quod Iudæam egressus est dominus, signi-
ficare potest hoc, quod Iudæos dereliquit & deseruit, pfe-
ctus in Galilæam gentium, quas scilicet in ecclesiam suam
adsumpsit & elegit, cum idololatriam suam dimitterent,
& dominum sequerentur in fide uirtutum optimarū ope-
ratrice. Non hic referre animus est, quomodo mare sit
hic mundus, ubi transfretauit dominus in ligno seu na-
uicula sanctæ crucis in uitam æternam. contenti sumus
explicare tantum, mare Galilææ designare mundū hunc
miserijs & calamitatibus undiq; plenum, in quo quicūq;
grauiter peccando offendunt, uelut in profundo natant
ut pisces, non attollunt animos suos in altitudinem cæle-
stium gaudiorum. Quo etiam uox ipsa Galilææ deseruit,
quæ rotā significat, aut quicquid uolubile ē. sic em̄ mūd⁹

Beda:

Theophi

homines uoluptatibus inuolutos & immerfos ueluti, ne-
 tiginosos efficit, ut nequeant iam amplius meditari cale-
 stia. sic Dauid quoq; dicit: In circuitu impij ambulat. Cū
 uero iam transfretaret per mare hoc dominus, & fluctus
 uoluptatum mundi huius infringeret, tribulationem si-
 mul uinceret & mortem, tunc nimirum secutæ sunt eum
 turbæ plurimæ, ex uniuerso terrarum orbe collectæ, eu-
 angelicam doctrinam amplexæ sunt, & dixerunt: Domi-
 ne, ad te cōfugi, doce me facere uoluntatem tuam. Quia
 post passionē Christi, cum iam apostoli & miracula ope-
 rarentur tanta, & tam salutarē undiq; disseminarent do-
 ctrinam, secutæ sunt illos turbæ magnæ, & crediderunt
 in dominum.

¶ Quod itaq; sedit in mōte dominus, hoc designabat,
 quoniā intelligētib; plurima & immensa reuelat myste-
 ria: uerū infirmos iam ante curat inferius ad radices mō-
 tis, q̄ n̄ cum uarijs uitijs & peccatis languidi ad altitudi-
 nem montis pertingere non possunt eò, quò innocentes
 manibus & qui mundo sunt corde, tantum perueniunt.

Deinde q̄ sublatis oculis dominus uenientem ad se uidit
 turbam, argumentum est immensæ misericordiæ illius,
 qua paratus est occurrere omnibus ueniētibus ad se: qm̄
 sicut pater ille filio occurrebat perditō, ita peccatori ob-
 uiam uenit deus per gratiam & innumera dona sua, mo-
 do peccator secum recogitet in corde suo, dicatq; cum fi-
 lio prodigo: Ibo ad patrem meum & dicam, Pater, pecca-
 ui in cælum & coram te.

2. ¶ Panes hordeacei quinq; libros quinq; Moyfi de-
 signant: puer qui panes secum fert, Moyses ipse est. Re-
 cte autem hordeacei sunt illi, quia & isti libri ueteris sunt
 testamenti: & sicut hordeum ægre ab inuoluulo seu pa-
 lea qua continetur, diuelli potest, ita ueteris quoq; testa-
 menti litera cruda & crassa est, operta sacramentis carna-
 libus, quæ spiritalis intellectus granum contegebant.

¶ Quamuis referri idē hoc quoq; potest ad duritiem legis
 & mādatorum ueterum, quam Petrus quoq; fatebatur, in
 Actu. 15. quies: Quid tentatis imponere iugum super ceruices di-
 scipulorum, quod neq; nos, neq; parentes nostri portare
 potuimus?

Psal. 11

Psal. 142

Actu. 5

Psal. 23

Luc. 15

Augustin.
Hierony

Actu. 15

¶ Granum illud legis intimum apud Iudæos sub uelamine corticis latuisse, Paulus quoque testatur, cum ait: *Vf. 2. Corin. 5*
 que in hodiernum diem cum legitur Moyses, uelamē positum est super cor eorum. Quando itaque ignorantia turbæ sub lege erat, eo faciebat, quod dominus Philippum interrogauit, ignorantem adhuc mysterium illud magnū, quod facturus erat ipse. Veniens autem dominus, uelamē ademit ijs qui conuertebantur: in cuius rei signum, uelū *Matth. 26*
 templi quoque scissum est in morte Christi.

¶ Porro pisces duo, ex sententia beati Augustini uidentur nobis significare duas illas in ueteri testamento sublimēs personas, quæ ungebantur ad populum sanctificandum & regendum, sacerdotes & reges. Sacerdos autem & pontifex Christus quoque est, ut qui semetipsum obtulerit deo patri sacrificium & hostiam uiuam: rex etiā, quoniam ab ipso omnes gubernamur in regno fidei. Beda per pisces duos, geminam intelligit scripturam, psalmorum & prophetarum: quoniam illi canendo, hi loquendo futura prædixerunt. *Augustin*

¶ Panes quinque fregit & distribuit dñs. Quamdiu puer, hoc est, populus Iudæorum, panes quinque, quinque libros Moysi apud se gestauit, non distribuebantur illi populis gentium, sed non intellectos etiam istos penes se seruabant Iudæi. Verum quamprimum natus est dominus noster Iesus Christus, panemque accepit simul & fregit, hoc est, intellectum aperuit latentem, quomodo discipulis duobus in Emaus abeuntibus panem fregisse dicitur, cum inciperet loqui de Moysē & prophetis, explicans quæ in ijs de se scripta essent, tunc sane multiplicati sunt libri Moysi: quia per uniuersum terrarum orbem diffuse explicati, atque adeo apostolis dati, qui deinceps gentibus proponerent: hoc est, quod potestatem dedit apostolis posterisque eorum, librorum Moysi interpretationem toti mundo prædicare. Quamuis enim Christus docere incepit euangelium, tamen & hi qui illud ex ipso audiebant, profecti prædicauerunt ubique, domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Quod autem fœno seu graminis insederunt turbæ, ad homines referendum est, qui *Marc. 16*
 carnales sunt. siquidem omnis caro fœnum, inquit Isaias. *Isai. 40*

huiusmodi hominibus panis scripturarum & uerbi dei proponendus est, ut aliquando carnalem tum intelligentiam tum concupiscentiam omittentes, uoluptates quoque mundi huius uelut herbam quæ iam exaruit fugientes, corpus iam redigant sub obsequium spiritus. Id fit, cum quinquageni discumbunt, secundum Lucam, hoc est, cum penitentiam agunt, inquit Hieronymus. Et hoc contra eos facit, qui bonis tantum prædicare uolunt euangelium, quo multo magis indigent qui mali sunt, ut conuertantur: boni uero, ut in boni cæpto perseuerent, & de uirtute in uirtutem progrediantur. Neque à prædicationis officio & diligentia sedulus deterreatur prædicator, si uideat multos malos sibi esse auditores, apud quos nihil promoueat: quoniam si unam saltem animam lucretur prædicatione sua, plus iam lucri habet, quam quotquot in mundo sunt mercatores. Atque hoc illud est quod Christus dixit, sanos non indigere medico, sed male habentes: ideoque tantum sub inde peccatores ueniunt ad dominum. sed & per prophetam idem hoc ipse de se testatur, dicens: Ut mederer contritos corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. Neque semper Christus bonos tantum habuit prædicationis suæ auditores, imò & in magno illo miraculo, decem curatis leprosis, unus tantum rediit ad Christum, qui gratias egit.

Luce. 9.
Hierony.

Matth. 9.

Isaie. 61

Luce. 17

Augustin.

Beda.

1. ¶ Satiatis iam turbis, præcepit dominus apostolis colligere fragmenta, ne perirent. Quæ sunt autem, ait Augustinus, illa fragmenta, quæ populus non potuit manducare: intelligantur ergo quædam secretiora intelligentiæ, quæ multitudo non potest capere, ea adseruanda sunt utique & collecta ijs tradenda, qui alios etiam queant docere, cuiusmodi sunt prælati & doctores. penes illos remaneant pleni cophini fragmentis, quia plerumque sunt arcana diuinorum eloquiorum, quæ uulgi sensus non capit: nonnulla quæ per se quidem minus docti assequi nequeunt, sed à doctoribus exposita mox intelligere queunt. Audiant hoc nostrates neochristiani, audiant rudes ex plebe & indoctissimo uulgo homines, audiant uetulae quoque garrulae, & discant non ita temere sacras tractare scripturas, ex quarum lectione, arrogantia tantum & inani fa-

flu inflati, in abyſſos errorum cadunt præcipites. Ecce nõ præcepit hic dominus turbis ſecum auferre reliquias panis, ſed a poſtoliſ colligere: ex horum cophinis, quod tibi difficilius & grauius eſt, tu collige. Diſcant hinc quoque prælati commiſſum ſibi eſſe uerbum dei diſtribuendum ex cophinis plenis, non iura ciuilia, non poetarum illecebras: ſed quicquid panis euangelici reliquum eſt, turbæ enucleare, explicare, & (quo ſibi uitam comparent æternam) elucidare. Impleuerunt apoſtoli cophinos duodecim, & unusquiſq; eorum de reliquijs ſaluatoris implet cophinũ ſuum, ut habeat unde poſtea gentibus cibos præbeat. Omnis itaq; hic ſpiritualium doctorum chorus exprimitur: qui obſcura ſcripturarum, quæ per ſe turbæ nequeunt meditando colligere, & meditata & mandata literis, ſuo pariter & turbarum uſui conſeruare iubentur.

Ecc̃i. 24

Hierony.

Beda.

Hoc ipſi fecere apoſtoli & euangelix, hoc ſequaces eorũ eccleſiæ toto orbe magiſtri, etiam integros utriuſq; teſtamenti libros diligentiori explanatione diſcutiendo. Diſce hinc errare omnes iſtos, quotquot nec credere iam neque tenere quicquam uolunt, niſi quod in ſcripturis bibliis habetur expreſſum. Aliter nos hic docemur, panẽ quidem euangelicum à Chriſto fractum, nos quoq; proponere debere turbis, ſed in ſuper etiam eorum quæ difficiliora ſunt fragmẽta, ex cophinis illorum qui diuinitus ſunt edocti, non contemnere, cuiuſmodi ſunt Auguſtinus, Dionyſius, Cyprianus, Hieronymus, Chryſoſtomus & alij nonnulli. Ex iſis fragmenta ſcripturarũ nos ſumere oportet, non ab Arrio, Heluidio, Vuicleff, Huſs, Luthero, Zuinglio, quibus non commiſit dominus colligere fragmẽta: quãdo nec apoſtolorum ſunt ſucceſſores, uel ab iſis ad hoc munus miſſi, ut ſic ſcripturã ſanctam lanient, lacerent & reiſciant: ultro enim ſe ingerũt, ut fures & latrones, neque uera ianua ingrediunt, quo ſic uocarentur ab iſis, qui ius uocatiõis & ad huiuſmodi officia miſſiõis debitæ haberent.

Sala. 4

Heb. 7. 3

2. 9

Johan. 10.

¶ Quis hic doctores multũ uariãt ſup expoſitiõẽ. ¶ Facias panũ & duorũ piſciũ, tñ ex multis ſunt q referãt ad 5. partes penitentiæ, oñdentes etiã quõ ſinguli ſint frãgendi, nem vt ſicut facit Robert⁹ Anglic⁹. Nec deſunt q panes illos expoſiciõẽt. ¶ Hic ſermo placuerit. ¶ Bernar. ¶ Bernar.

ad statum religiosorū pertrahit. Rursus sunt alij, qui panes quinque interpretantur quinque rationes siue causas, quibus ad penitentiam promouemur. Alij referunt ad quinque illa, quibus anima nostra pascitur. Postremo sunt qui a magogicè panes istos exponunt quinque illa, quibus animæ siue spiritus sanctorum satiantur in æterna beatitudine. Ea omnia missa hic facio, tantū quæ Ambrosius habet, breuiter percensebo. Ex multis circumstantijs constat,

Ambro.

**Johan. 6
Matth. 15**

hic & Matthæi decimo quinto, non unam atque eandem esse historiam: quoniam hic quinque panes, illic sunt septem: hic supra fœnum, illic in terra sedent: hic quinque millia, illic quatuor tantum millia satiantur: hic duodecim cophini, isthic septem solummodo implentur: ut iam opere præcipiū sit, omnino nō unam hanc esse historiā. Ambrosius quoque exactius adhuc significationem illius explicās,

**Ambro.
super Lucam
lib. 6**

ait: Videntur illa quinque millia quasi quinque corporis sensus, adhuc corporalibus proxima accepisse alimenta de Christo: quatuor uero millia, & si adhuc in corpore sint, & in hoc mundo, qui ex quatuor constat elementis, non ociose tamen feruntur mystice accepisse escā quietis. Numerus enim hic quaternarius, ut ait Hieronymus, semper in laude ponitur: & quadrangulus lapis non fluctuat, & non est instabilis: atque ob hanc causam etiam euangelia in eo numero consecrata sunt. Quatuor hæc millia satiantur panibus septem, cibo nimirum sancto quietis: quia sic dies septimus requietioni datus est, & omnis hæc uita nostra uicissitudine & continua septem dierum reuolutione peragitur. Quisquis igitur hic uiuit deo beneplacitus,

Hierony.

Sene. 2

& panes illos septem quietus & in omni sanctimonia uitæ hic manducat, panem tandem octauum in illa quoque cœna manducabit, quando æterna fruetur beatitudine, post resurrectionem. Atque ideo Matthæus ait, Christum testimonium illis dedisse, quod triduo secū sustinuerint, sicut olim Iudæi profectionem triduanam (quæ penitentiam designabat perfectam) domino uolebant offerre in deserto.

Lucæ. 14

Matth. 15

Exo. 5. 2

Id adeo subtiliter quoque sanctus Iohānes insinuauit, dum istorum quinque millium panem hordeaceum describit, panem utique horridum, sicut & homines isti duri ad:

huc erant & minus perfecti. Verum perfectioribus illis
 quatuor millibus, panis datur mundissimus. Carnales
 quoque isti sceno insident, ut qui nondum penitus uolu-
 prates carnes reliquerunt: quatuor millia autem homi-
 num sedent in terra, quæ frumenta, uinum & oleum p-
 ducit, ut inde plus gratiæ diuinæ acquirant, qui ad re-
 gnum cælorum ex quatuor mundi partibus perueniunt,
 iuxta illam CHRISTI uocem: Multi ab oriente & occi- **Matth. 8**
 dente uenient, & recumbent cum Abraam, Isaac & Ia-
 cob in regno cælorum, Et sicut hic apostoli panem di-
 uiserunt turbis, ita deinceps corpus quoque & sangui-
 nem domini distribuerunt. Ad extremum CHRISTVS
 quoque fregit uetus testamentum, & reliquias illius at-
 que fragmenta apostolis proposuit, quod in multis lo-
 cis apud Mattheum ostenditur, de libello repudiij, & a- **Mat. 5. 18.**
 pud Paulum de duobus filijs Abraæ. De perfectione **Sala. 4.**
 porro numeri septenarij plurima sunt in sacris literis
 argumenta manifesta, quia septem sunt dona spiritus
 sancti, septem gradibus ascenditur in templum, se-
 prem quoque sigillis obmunitus est liber dei:
 quibus omnibus cōsortium adipisci possumus
 spirituum septem, qui sunt ante faciem
 throni dei: ubi tandem cum omni-
 bus sanctis angelis & electis
 dei, deū laudemus in se-
 cula benedictum,
 Amen.

Isaie. 11
 Apoc. 5.

DOMINICA QVIN

TA QVADRAGESIMAE,

quæ eadem est Dominica in Passi-
 one dicitur, Euangelium

Iohannis VIII.